

compescas. Datum Laterani die 15 Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno primo. Volens igitur idem dominus Episcopus Minerbini ad ipsius executionem mandati reverenter procedere cum ea quae expedit diligentia inquisivit per plures et diversos homines Baroli sufficientes et omni exceptione maiores si de huiusmodi Sacrilegio ad eorum aliquam notitiam devenisset, qui corporaliter iuramento affecti, feriatim dixerunt et confessi sunt in praesentia nostra nichil ad eorum pervenisse notitiam de praedictis. Cuius quidem inquisitionis fama cum subito pervenisset ad notitiam venerabilis viri Archipresbiteri Baroli, et aliorum clericorum et sociorum eius, ipsi unanimiter et voluntarie, et tamquam obedientiae filii ad praesentiam praedicti Episcopi Minerbini nobis ibidem praesentibus se personaliter cum omni reverentia contulerunt exponentes quod quidam Clericus socius eorum Andreas nomine Archipresbiter et Canonicus eiusdem Cannensis Ecclesiae, et Angelus specialis civis Baroli ipsius Ecclesiae Procurator venerunt ad eundem Archipresbiterum et eius socios supradictos requirentes ipsos, ut ob Dei reverentiam et honoris intuitum eiusdem Cannensis Episcopi, et eorum deberent una cum eis ad eandem Cannensem Ecclesiam se conferre ad deferendas, et salvandas ad opus Cannensis Ecclesiae quasdam res de omnibus supradictis, ne res ipsae fuissent furtivae noctis tempore et inde asportatae, prout plura et diversa de rebus ipsius Ecclesiae per malos homines ab eadem Ecclesia furtive asportata fuerunt et subtracta. Verum quia idem Archipresbiter et eius socii supradicti petitionem, et requisitionem predicti Andreae Archipresbiteri et Angeli procuratoris praefati cum omni devotione ac sollecitudine efficaciter admittentes; quia opus Dei, et ipsius Cannensis Ecclesiae satis utile et necessarium videbatur, fore, si praedictae res per eos ad opus ipsius Cannensis Ecclesiae salvarentur, idem Archipresbiter, et eius socii supradicti unanimiter et concorditer